



224

222

228

218

233

213

273

173

323

123

213

non egressuri. Post coenam dum staremus in superioribus galeae, et contra Alexandriam respiceremus, venit una navis plena Sarracenis in tenebris, quia crepusculum erat, de civitate ad latus galeae nostrae, et cum magno silentio alligaverunt naviculam ad galeam, erant enim quidam juvenes Sarracenorum, qui contraxerant societatem cum aliquibus de galea nostra et cum eis vinum bibere jam consueverant. Ad hoc ergo nostri cum flasconibus et amphoris et scyphis vel vitris descenderunt et sedebant bibendo et rebibendo in tantum, ut Sarraceni inebriarentur et tamquam fatui cantarent; illi autem, qui in galeam ascenderant, cum multa difficultate in scapham descendere poterant propter vertiginem capitum eorum. Sicque pleni remigraverunt in tenebris ad litus. Ego autem stabam et casum alicujus in mare expectabam et hodie aestimo, quod vix sine baptismo ad litus pervenerint. Mansimus autem cum classe in illo portu pluribus diebus propter negotia institorum et liberationem captivorum, sed et ipsi patroni inter se divisi erant, et aliqui volebant classem solvi citius, aliqui tardius dicebant solvendam, uno autem discordante cogitur tota classis manere, et nullo modo audet una galea sine alia recedere secundum leges Venetiarum. Stante autem classe ibi in otio ego in peregrinorum galeam redii et multas pervagatus sum interim regiones, ut promisi supra fol. 132. Et quia eodem modo recessus omnium galearum fit, ideo sub recessu unius galeae totius classis solutionem comprehendam.

Recessus navium de portu Alexandrino et ventorum adjutorium.

Quinta die, antequam illucesceret, inceperunt gubernatores classis et navium praefecti clamare et marinarios ad labores hortari. Cum clamoribus autem solitis trahebant sursum accatones, epidromos et dolos, colligata in eorum antennis, subtractisque scaphis et solutis spiris et promesiis et transillis pro forti et salubri spiramine omnes sollicitabantur. Fuit autem tunc quidam ventus lateralis tepidior, cui diu differebant vela committere timentes, ne nimis contra Syriacum mare impelleret classem. Tandem autem solutis velorum ligaminibus mox labentia vela implentur

Ende

Anfang